ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

LODOICO DE ROHAN

COMITI DE ROCHEFORT, EQVITI TORQVATO, COMITATVS ET EPISCOPATVS NANNETENSIS PRO REGI &c. NICOLAVS REGNIER.

QVod hæc iatrica de vulneribus positio tuo nomini dicata, sub tuo numine propugnetur, duæ me potissimum rationes impulerunt: altera, quod cum apud Græcos solis principibus ius, & exercitium vulnerum percurandorum concederetur, tibi (Princeps Illustrissimè) *de vulneribus disceptationem non ingratam fore existimaui. Vlysses Diomedi sagittam extraxit, Polypus Sarpedoni, Patroclus Eurypilo, non erubuit Achilles Telephi vulnus manu contrectare, & inspersa rubigine percurare: Altera est singularis tua erga me comitas, ac humanitas, qua me semper, & cum tecum humanioribus litteris addiscendis operam darem, & posthac excepisti, cuius benignę tuæ erga me voluntatis* τεκμήρια *aliter nunc quam hac tabella repensare non possum, quæ tam large huc vsque mihi exprompsisti planissume ex genio familiæ vestræ quę ab ipsis Charisin non facta sed nata est, & dum meæ erga te tuamque domum obseruantiæ specimen maius, meque totum vobis ostendam, interim humanitatis tuæ prorsum edecumatæ memoriam mecum seruabo.*

Dum res, & ætas, & sororum
Fila, trium, patientur atra.

QVÆSTIO MEDICA 596

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIII. FEB. M. FRANCISCO QVIQVEBEVF, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Articulorum vulnera lethalia?

MEdicina perimmensum atque profundum pelagus triremi pertranatur, diæta, chirurgia, pharmacia: istis vt Neptunus motos fluctus tridente, sic Medicus verus ἀλεξίκακος sæuientes morborum insultus reprimens, componit: huic à dextris est chirurgus, non bullatus quidem, cui tegit errantes instita longa pedes, sed operandi duce, & auspice Medico peritus: à sinistris pharmacopœus eligendi, præparandi, & miscendi, non medendi narus: quibus vtens se ad sanitatem velut aureum vellus corpori humano conquirendam conuertit: illud namque infinitis ἄνω καὶ κάτω, ἀπὸ τῶν ἐνεόντων, καὶ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν oriundis occursat malis: internis & externis Medicus, externis chirurgus cum Medico medetur tribus his modis, exæresi, superuacaneum citò tollendo, diæresi, quod præter naturæ institutum vnum est tutò diuidendo, synthesi denique quod non naturaliter hiat iucundè vniendo, hic tamen optato vix semper fine potitur ὑγιέας μὲν γὰρ ποιέειν ἅπαντας τοὺς ἀσθενέοντας ἀδύνατον.

COrpus siquidem humanum, omnium quæ in aëre, terra, marique viuunt nobilissimum, ac temperatissimum, morbis & symptomatis adeo grauibus corripitur, vt nec à natura morborum medicatrice, nec ab artifice euinci possint, planéque ἀνίατοι euadant, quales apoplexia quamuis febris superueniat, vertigo cephaleæ succedanea, phrenitis cum tremore, lethargus, angina, asthma in pueris, & valde senibus, pleuritis, phthisis, cholera nisi cum lipyriæ superuenit, hydrops cum tussi cuius vlcera, vt & elephantiasis, strumæ, ac fœdæ veneris, remedia vtplurimum eludunt, sed minus tamen contumaciter quam quæ supremum κακοηθείας gradum tenent, phagedena, nome aphthis quandoque succedens, & cancer: vlceris autem vulnus sæpe parens, hominem non segnius orco præcipitat, capitis, cordis, pulmonis, & ἄρθρων, artem diuini reddens Machaonis inertem.

ESt autem vulnus continui recens, & cruenta solutio in partes molles extrinsecus irruens, quod ratione partis cui infligitur, & instrumenti quo fit, paruum & magnum, sanabile & lethale euadit: à figura rectum, obliquum, transuersum: ab essentia simplex & compositum; in osse (maxime caluariæ) κάταγμα dicitur, cuius species variæ, vt ῥωγμή, θλάσις, ἐσφλάσις, ἕδρη, ἀπήχημα, in iuncturis ἐξάρθρησις, in neruo σπάσμα, in musculo contusio cui soboles ἐκχύμωμα, in cute plaga. Vbi vero vulnus θανάσιμον, hyeme offensus diutius viuit quam æstate: vulnera verticis & temporum periculosiora, quam frontis & occipitis, carnis omnium tutissima.

CVM autem homo si vno eoque continuo osse constaret; ad obiectorum varietatem percipiendam, & animæ iussa exequenda, extendi, flecti, circumagi, & progredi non potuisset, ideo ossium eius compagem, & contiguitatem summus rerum opifex, articulis, medij triplicis beneficio coniunxit, vt est συγχόνδρωσις in costis, sterno, ossibus pubis, συννεύρωσις in omni diarthrosi, συσσάρκωσις in osse hyoide & scapulis: vnde merito articulus naturalis ossium compositio ad motum definiri potest. Verum enimuero licet continui solutio diuisarum partium vnionem, verum naturæ opus (φυῇ & μορφῇ) perficiendum indicet, tamen quandoque ἐπιγινόμενα ita vrgent vt medicum & chirurgum prima relicta indicatione in sui depulsionem adigant: magnum enim quacunque ratione vulnus periculosum, longe deterius si à sclopeto, aut animali venenato inflictum, ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα si in articulis existat.

VT namque omnium tutissima ea sunt vulnera facilisque curationis: quæ partibus minimùm neruosis, venosis, & arteriosis infliguntur, sic periculosissima, certóque lethalia, quæ in partes amplioribus vasis, neruis copiosioribus & arterijs, frequentibusque musculorum tendonibus præditas irruunt, quales eæ quibus articuli obducuntur. hinc enim largus sanguinis fluxus, hinc dolores acerrimi, hinc frequentes conuulsiones, hinc vigiliæ, febris vehemens, delirium, paralysis, syncope, mors.

Ergo Articulorum vulnera lethalia.

Asserebat NICOLAVS REGNIER Parisinus Anno R. S. H. M. DC. XX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Robinet.	*M. Franciscus Quiquebeuf Præses.*	*M. Philebertus Guibert.*
M. Ioannes Berault.	*M. Claudius Lienard.*	*M. Ioannes Pietre.*
M. Franciscus Mandat.	*M. Ioannes Dossier.*	*M. Ioannes Cousin M. R.*